

Dissertatio inauguralis medico-chirurgica qua chirurgiae adversus morbos vel desperatissimos promptum ac praestantissimum auxilium novis iisque exquisitoribus quibusdam exemplis comprobatur ... / publice defendet Gustavus Adolphus Zschiesche.

Contributors

Zschiesche, Gustav Adolph, 1800-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Lipsiae : Literis Staritzii, [1830]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mq6ryubm>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA

Q V A

**CHIRURGIAE ADVERSVS MORBOS
VEL DESPERATISSIMOS
PROMTVM AC PRAESTANTISSIMVM AVXILIVM
NOVIS IISQVE EXQUISITORIBVS QVIBVSDAM
EXEMPLIS COMPROBATVR.**

QVAM

IN VNIVERSITATE LITERARVM LIPSIENSI
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRO OBTINENDIS SVMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBVS

ILLVSTRIS ICTORVM CONCESSV

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE II. MENS. APRIL. A. MDCCCXXX.

PVBlice DEFENDET

GVSTAVVS ADOLPHVS ZSCHIESCHE

LIPSIENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS.



L I P S I A E

LITERIS STARITZII, TYPOGR. VNIVERS.

DISSERTATIO LXXIIII. DE MORBO - CHOLERICA

974

CHOLERICAE ADVERSUS MORBOS VEL DESPERATIONIS

PROMPTVM AD REPERITIONEM VITAE

NOVA METHODVS EXAMINANDI

PER VARIAS EXPERIMENTA

IN REPERITIONE VITAE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS VICTORITATE

PRO CERTIFICANDIS SIGNIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORARIIS

ILLUSTRISSIMO VICE-REGE

IN AUSTRIA HUNGARIA

FRANCISCO I. A. ARCHIDUCI

AVSTRIAE

GRATIA ADONIS REPERITIONE

MEDICINAE REPERITIONE

LIT. B. I. A. E.

LIBRARIUS STAMPAE, TYRONI, 1794

V I R O

EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO

GEORGIO FRIDERICO KOHLRVSCH

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CHIRURGO SCHOLAE THOMANAE
ET MILITVM CIVICORVM, NOSOCOMII AD D. IACOBVM
CHIRURGO SECVNDARIO**

AVVNCVLO AD CINERES MIHI COLENDO

OPVSCVLVM HOC ACADEMICVM

GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIUM

ESSE VOLVIT

AVCTOR.

VIRI

EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO

GEORGIO FRIDERICO KOHLRASCH

RECTOR ET CENSOR DOCTOR, CENSOR SCHOLAE THEOLOGICAE
ET MILITAE CIVICORUM, NOBILITATIS AD IN. IACOBUM
GERARDUM SECT. 2. 1810

ATTENTISSIMO AD CENSURAS SUAS COLLEDO

OPUSCULUM HOC ACADEMICUM

GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIUM

ESSE VOLUIT

ACCEPIT

Ex quo arti salutari operam navare coepi, chirurgia et theoretica et practica maxime mihi erat iucunda, et summa propterea assiduitate, summoque amore eam prae reliquis medicinae partibus amplexus sum, ut aliquando ad cives exinde aliqua certe utilitas redundaret.

Nullus itaque dubitavi, in hac quoque scribendi necessitate argumentum e chirurgia repetere. Non autem propterea calamum apprehendo, ut scriptoris gloriam nanciscar, sed ut tantummodo satisfiat legibus atque institutis Academiae nostrae, ut, qui summos in arte medica honores ambiant, scribendo ac defendendo libello academico illorum consequendorum viam sibi parent. Optime enim persentio, huic rei me esse imparem, partim, quod tiro tanta experientia praeditus non sit, quanta in eo desideratur et praesumitur, qui artis aut scientiae cuiusdam vere augendae causa opusculum scribendum suscipit; partim, quod institutio, qua a tenera inde vitae aetate usus sum, non ita erat comparata, ut scriptoris provinciam ea animi confidentia in me suscipere valeam, qua uti multos, melius institutos, videmus. Qua de causa rogatos maxime volo Lectores Benevolos, ut veniam tribuant auctori, in scribendo perparum versato, si iuvenilis hic labor eorum expectationi non respondeat. Temporis etiam ad tractandum argumentum concessi brevitatis, et fines arctiores libello academico praescripti, me excusabunt, si non omnia ad argumentum meum spectantia, quorum maxima pars in scriptis virorum de chirurgia meritissimorum, recentissimi inprimis aevi, praesto est, huc traxerim, et sic ob tot ac tanta impedimenta arduae huius et latae materiae superficiem tantum tetigisse mihi contigerit.

Chirurgia antiquissima illa artis medendi pars, quae ab AESCULAPIO eiusque filiis, PODALIRIO et MACHAONE, qui in bello troiano eam exercuisse traduntur ¹⁾, originem deducit, multis rationibus prae medicina pharmaceutica et medicamentorum interna administratione excellit, et unicum etiam haud raro relinquitur remedium ad vitam sustentandam, et gravissimos affectus, qui genus humanum infestant, tollendos. Haud opus est, neque hic attinet, in chirurgiae laudes excurrere, aut originis, qua eminet, praestantiam, ex antiquissimorum seculorum monumentis operosius petitam celebrare, quum ea in re dudum ab eruditissimis factum fuerit viris otium, neque cuipiam, historiae medicinae vel mediocriter saltem gnaro, ignotum sit, priscorum temporum medicinam in externarum partium morbis curandis potissimum fuisse occupatam, quos laboriosum vivendi genus produxerat, quum tanta nondum esset mortalium ad luxum atque voluptariam vivendi rationem proclivitas, ex qua numerosissima postea variarum nocivarum causarum agmina, ad corpus delata, infelicissimam internis quam plurimis morbis dedisse atque dare originem, fide dignissimorum scriptorum non solum constat testimoniis, sed quotidiana etiam comprobatur experientia.

Haec, utpote notissima, lubens praetereo; de sola tantum, quae manu operatur, medicina hoc praemonuisse satis ducens, ei pluribus de caussis, si de primatu cum pharmaceutica disceptandum sit medicina, facile palmam esse concedendam, quando quidem vix certiore sanandi rationem esse constat, quam eam, quae omnium morbosarum partium

1) Vid. Io. ZACH. PLATNERI Progr. de chirurgia, artis medicae parente, Lips. 1721. 4.

indolem et mutationes sensibus manifesto cognoscit, et medicaminum quoque applicationem tam tuto suscipit, ut, cum ipsorum locorum affectorum conditio visui atque tactui pateat, vix unquam, nisi ab imperitissimo, error committi posse videatur. Ne quid de expeditissima per chirurgiam sanandi ratione commemorem, qua fit, ut innumera incommoda, manu chirurgica adhibita, illico etiam aut plane removeantur, aut multum certe imminuantur, quorum ne minimum quidem levamen per continuum internorum remediorum, alioquin praestantissimorum usum obtineri unquam potuisset, vel certe per diuturniores moras, varias ambages, magnoque temporis dispendio impetrandum fuisset. Quem enim latet, sanguinem cerebro a verberibus, ictu, lapsu etc. extravasatum, unicum fere exposcere remedium, trepanationem, et ad quam tanquam ad sacram anchoram confugiunt aegrotantes? Cuilibet quoque notum, imo notissimum est, cataractam auferri vix posse, nisi operatione chirurgica. Similiter in vulnere thoracis sanguis extravasatus, vel in vomica rupta pus per paracenthesin extrahitur, tali saepe eventu, ut aegrotus in summo vitae periculo antea versatus, nunc liberetur ex mortis faucibus per unam illam et solam encheiresin, quae et in hydrope summo cum fructu adhibetur; neque omnis generis tumores, ulcera, vulnera, ossium fracturae, luxationes articulorum etc. etc. efflagitant aliam, nisi huius nobilissimae artis opem: ita, ut verissimum sit HIPPOCRATIS effatum: *quaecunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat, quae ferrum non sanat, ea ignis sanat.*

Nec tamen in ea re chirurgia acquievit, sed recentissimis temporibus insignis eius praestantia manifesta fuit in morbis, qui hucusque lethales prorsus putabantur, eo quidem cum successu, ut haud raro mors iam imminens fugaretur, aegrotique prosperrima postea valetudine fruerentur, qui antea vitam traxissent misserrimam.

Quae cum ita sint, non dubito profiteri: *chirurgicam artem vel ibi esse administrandam, ubi alia methodus medendi nihil amplius valet, et adhiberi eam debere, ne unicum praetereatur, quod opem ferre*

possit, auxilium. Ad quam sententiam comprobendam exempla sunt sequentia partim ex scriptoribus petita, partim a viris Celeberrimis KVHLIO et KOHLRVSCHIO mecum communicata.

Ad nostrum finem maxime facientes casus a scriptoribus memoriae traditi sunt de maxillae inferioris resectione. Hi casus, quemadmodum reliqui a nobis posthac commemorandi, comprobant, operationem chirurgicam vel tum salutem afferre, ubi alia quaevis medendi methodus incassum in usum vocata fuerit, et medicorum experientiam vanam reddiderit. Encheiresis ista chirurgica, vel cum, vel sine exarticulatione peracta, Chirurgiae antiquiori tam erat incognita, ut eius ne vestigium quidem apud scriptores chirurgiae maxime classicos seculorum superiorum reperiatur, dum recentissimis temporibus manu audaci, et saepissime felici cum successu susciperetur. Primus, qui resecandae maxillae inferioris particulae consilium cepit, coeptumque feliciter solvit, DEADERICK fuisse videtur, quandoquidem is hanc operationem die mens. Februarii sexto anni 1810 in puero quatuordecim annorum osteosteatomatis lateris sinistri removendi causa in se suscepit, et felici cum successu peregit. Eum paullo post secuti sunt: DUPUYTREN anno 1812, DELPECH anno 1819, MOTT 1821, GRAEFE, LALLEMAND, M^r CLELLAN, DYBECK, SCHVSTER, CVSSACK, FRICKE, aliique. Longus autem forem, limitesque hisce pagellis praescriptos nimium excederem, si singulos hosce casus, vel, quam fieri posset, brevissime exciperem; eosque propterea, qui illorum cognitionem expetant, ad commentationem Cl. BEHREI doctissimam, relego ²⁾, qui omnes, quotquot exstant, illius operationis historias singulari industria collegit et ordine chronologico disposuit et illustravit. Quare eiusmodi operationes,

2) G. BEHRE *Bemerkungen über die theilweise Excision u. Exarticulation des Unterkiefers, nebst den zur Geschichte dieser Operation gehörigen Fällen.* Vid. Io. Nepom. RVST *Magazin für die gesammte Heilkunde.* Band XXIII. Berlin 1827. pag. 387 — 470.

ab Ill. DZONDI, medico Halensi celeberrimo et a Cel. ULRICO peractas, commemorare sufficiat, quae in BEHREI opusculo omissae, notatu autem dignissimae ³⁾ sunt.

ELEONORA WERNER, puella viginti quinque annorum, anno 1818 post saltationem nimiam refrigerium vehementissimum admisit, quod praeter vulgaria rheumatica symptomata secuti sunt dolor et motus difficilis maxillae inferioris. Vix ab hoc malo liberata, novo refrigerio admisso, vehementissimis maxillae, potissimum dextrae, doloribus excruciat, simulque genae dextrae inflammatione erysipelacea corripitur. Quae cum perversis remediis, epithematibus nimirum calidis, humidisque, male tractaretur, abscessus orti sunt, et per plures annos, cum dolore tumoreque gena maxillaque dextra immobiles remanserunt, variis licet medendi methodis a diversis medicis adhibitis. Tandem ad Cel. DZONDIUM confugit, statusque morbi praesens repertus hic est: Gena dextra ab osse temporum ad maxillam usque inferiorem, et ab aure ad nasum valde tumida, profunde modice dolebat, tumor durus et fere ligneus erat, sine rubore, excepto uno, in regione ossis zygomatici loco, unius circiter pollicis ambitu, qui mollior in medio abscessus orificium continebat, sub ea cutis parte latentem. Labia quidem, nequaquam vero maxillae diduci poterant, nisi circiter lineam unam. Abscessus ille sinuosus pus lymphaticum secernebat, quamquam varia remedia, sed frustra, a chirurgis essent adhibita. Cognoscebatur maligna morbi indoles, ideoque prognosis nonnisi dubia esse poterat. Medendi ratio ea erat, ut abscessus iniectione liquoris hydrargyri nitrici tractaretur, et brevi sanaretur. Tumor autem induratus, neque epithematibus siccis calidis aromaticis, neque emplastro narcotico, neque frictionibus ex liquore Ammonii caustici cum spiritu camphorato mixto, cum unguento hydrargyri cinereo,

3) FRIDER. HENR. CHRIST. LAMBERT commentatio chirurgica de casu memorabili exsectae dimidia maxillae inferioris ex articulo, praevia subligatione carotidis. Praefatus est C. H. DZONDI, Lipsiae 1826. 8.

nec denique internis remediis resolvi poterat. Dimissa igitur fuit aegrotans post sanatum abscessum mense Decembri eiusdem, quem dixi, anni. At mense Martio anni 1823 rediit cum alio abscessu eiusdem genae paulo inferius sito, qui vero denuo sanatus fuit. Tumor ceterum idem semper mansit, tota maxilla inferiore fere immobili. Tertia vice ad DZONDIVM recurrit cum simili abscessu, qui simili modo brevi tempore sanatus est. Anno 1825 eodem cum malo revertitur, at in loco multo magis incommodo et periculoso. Tumor enim non solum in maxillae anteriore parte, sed etiam in tota ala sinistra maxillae inferioris et in regione parotidis poneque articulum maxillae radices egerat. Migraverat itaque morbus a dextra faciei parte ad sinistram; prorsus enim libera ab omni inflammatione et suppuratione dextra gena erat, neque multum tumebat, indurata tamen. Sinistra vero gena tumida non solum dolebat, suppurationis profundae sedes, sed os ipsum maxillae inferioris exesum et corruptum deprehendebatur. Durities potissimum et cutis morbose in ea maxillae parte animadvertebatur, qua dentes molares tertius et quartus positi sunt. Praeterea excrescentiae fungosae in cavo oris eiusdem lateris interiorem genae, et gingivarum superficiem externam obtegebant, ad tactum dolentes, et in sinus Maeandricos, qui cum interno abscessu communicabant, pus male olens fundentes. Nullum remedium dynamicum, ne pulvis quidem iste Cosmii adversus malum valebat, ideoque nihil reliquum erat, nisi culter. Operatio facta est die mensis Iulii octavo, et ante omnia carotis ligata. Cum maxillae sinistra ala a dente canino usque ad condylos simul exsecanda esset, et una cum ea cutis abnormis rescindenda in regione dentis molaris tertii et quarti, incisio prima facta est a medio fere mento, culterque inferiorem circiter marginem maxillae inferioris legens, usque ad auriculam et paulo ulterius productus, in regione processus mastoidei substitit. Secunda, vestigia prioris ab initio secuta, mox sursum directa, oblique adscendens, et postea rursus descendens, partem abnormem cutis, pollicem et dimidium latam et alterum tantum

longam circumiens, ibidem desiit. Aliis denique incisionibus penitus nudata maxilla resecta est parva serra in regione dentis canini sinistri ita, ut spathula lignea immissa partes molles retinerentur. Deinde maxilla solvebatur ex articulo, et denique fungosa massa, quae circa articulum cum pure mixta latebat, rescissa est. At licet primis post operationem diebus prospere omnia succedere viderentur, die tamen Iulii vigesimo sexto, qui erat post operationem duodevigesimus, expiravit.

Recentissimum dextrae maxillae inferioris resectae exemplum Dr. ULRICH cum lectoribus communicavit 4). Vir, in quo operatio ista instituebatur, anno huius saeculi duodevigesimo, sine ulla quadam conspicua causa externa, in margine mandibulae inferiori, iuxta eisdem angulum dextri lateris, indurationem animadverterat, non dolentem, simulque tumor apparuit, iuxta dentem molarem penultimum ex alveolis pronatus. Cum Dr. ULRICH aegrotum videret anno 1820, malum ad magnum iam gradum adscenderat; tota dextra maxilla a dente canino inde ad ramum adscendentem usque ad triplicem diametrum tumebat, dentes eiusdem lateris omnes aberant, eorumque loco sulcus reperiiebatur inaequalis, non profundus, purulentam maleque olentem materiem horis praeprimis matutinis spargens. Maxilla sub tactu quasi cartilaginea esse videbatur, in utroque margine valde tumida. Hisce tamen sub conditionibus ULRICH operationem nondum indicatam esse duxit. Interim in dies tumor volumine augebatur, ita ut vere anni 1821 tantum iam circuitum esset adeptus, ut non solum magnopere in facie appareret, deformaretque faciem, sed loquelam quoque et deglutationem impediret. Diligentiore exploratione apparuit, hunc tumorem, pugilli magnitudine, margine maxillae ex-

4) Dr. ULRICH *Wegnahme der rechten Hälfte des Unterkiefers*. RVST'S Magazin für die gesammte Heilkunde. Band XXXI. Heft 2. Berlin, 1830 pag. 240 — 269.

terno provenisse, móbilemque esse. Feliciter eum exstirpavit ULRI-
CHIUS, quo facto maxilla ad volumen rediit, quo ea fuerat duobus
ante annis. Nihilominus rediit morbus ita, ut annis duobus post ope-
rationem palliativam (1824) institui denuo opus esset; in qua apparuit,
tumorem in se continere massam quandam spongiosam, lamella ossea
tenui tectam. Sed tertia vice mandibula intumuit, et anno 1827 prae-
vio dolore inflammatio oborta est ad posteriorem tumoris faciem, in
cute externa, quae paulopost in suppurationem abiit saniosam, pessime
foetentem. Facta specilli ope exploratione apparuit, maxillam carie
esse corruptam. Frustula plura ossea forcipe remota, fistula tamen re-
mansit, eaque denuo inflammata est, cum aegrotus refrigerium in iti-
nere a. 1828 suscepto, grave commisisset. Inde non solum magna
quotidie ichoris copia profluxit, sed abscessus versus interiora quoque
generatus, qui foetidissimum ichorem in cavitatem oris emisit, aphthasque
maxime dolentes progenuit, et per somnum haud dubie saepius deglu-
titus, diarrhoeae molestissimae et dispnoeae causam praebuit. Hisce
sub conditionibus maxillae partis morbosae excisio tutissimum et unicum
quasi videbatur auxilium, eaque propterea die Augusti 26 instituta, ae-
grotus penitus persanatus fuit.

Qui duo casus, licet notatu dignissimi sint, longe tamen ab alio
superantur, cuius enarrationem debeo benevolentiae Exc. et Exp.
KVHLII, Chirurgiae in hac Academia Professoris Celeberrimi, viri in
sua arte exercitissimi et felicissimi. Is enim demonstrat, naturam
ipsam id praestitisse, quod in commemoratis casibus nonnisi arte erat
perfectum, simulque luculenter probat, quanta fiducia encheiresis
chirurgica possit in usum vocari, etiam tum, ubi rerum status pro de-
sperato prorsus habendus esse videatur. Quod enim in hoc casu solius
naturae ope fuit perfectum, remotionem dico partis aegrotantis ma-
xillae inferioris, id fiducius etiam expectandum haud dubie erit, ubi
operatio in eundem finem instituitur, praesertim eo tempore, quo vires
aegrotorum nondum magnopere sunt debilitatae.

Mulier quinquaginta circiter annorum, quae labii carcinomate aegrotabat, in nosocomium ad D. IACOBVM deportabatur. Labium inferius totum iam erat corruptum, multum tumebant glandulae submaxillares, caries maxillam inferiorem occupaverat. Dolores vix ferendi maxime eam excruciant, impediuntque, quominus somno aliquam caperet recreationem. Quolibet fere die reiteratis vicibus haemorrhagiae exoriebantur e vasis corruptis largae. In qua aegrotae conditione cum nihil reliquum videretur, quod malum coercere valeret, et unica salutis forte recuperandae spes in operatione versaretur, ea, prognosi tamen valde dubia et ancipite, suscepta fuit. Incisiones igitur plures ducebantur, quarum quaelibet pollicem circiter ab angulo maxillae inferioris orsa, inferiora versus tendebat, pauxillum supra marginem laryngis superiorem finem sub angulo acuto cum altera habebat. Omnes, quae extra et intra maxillam inferiorem intercedunt, partes molles cautissime solvebantur, ut ipsa maxilla penitus libera apparet, et pars morbosae serra removeri posset. Haemorrhagia, quae ex dissectis vasis oriebatur, larga, aqua frigida iniecta supprimebatur. At vero cum maxilla, ut serra scinderetur, ab Exper. KVILIO leviter tantum tangeretur, ecce exstupefactus stetit vir venerandus, cum in manum admotam delaberetur ipsa maxillae portio, quae tertiam fere eiusdem partem aequabat. Itaque nihil nunc operationis reliquum erat, nisi ut margines inaequales et asperi resecarentur. Ob maximam vero, quae in aegrotae erat, virium iacturam id differre aptius est, et solo linteo carpto margines involuti. Horrendus erat, et taediosus aspectus vulneris; lingua enim, fulcro suo destituta, apice manubrium sterni propemodum tangebatur. Vinctura deinde applicata fuit, vulnus, quam fieri potuit, exacte continens; qua factum quoque est, ut brevi illud paullulum ambitu imminueretur. Nutritio clysmatibus solis, ex iusculo carneo et vitello ovorum confectis, sustentabatur. Paullatim vulneris marginum exfoliatio oborta est; passim papillae regeneratae carnis pullulare incipiebant, et spes felicitis eventus in dies

angebatur, cum die post operationem undevigesimo subito exoritur alvi obstructio, febrisque cum deliriis vehemens, quae die vigesimo tertio aegrotam e vita sustulit.

Non minus, quam maxillae excisio, ad nostrum finem facere videtur chirurgica operatio, quam idem Cel. KVHLIVS in iuvene XVII annorum, prognosi admodum infausta, in nosocomio nostro Lipsiensi instituit, et cui ipse equidem interfui, quamque G. FR. GRVNER ⁵⁾ in Dissertatione sua inaugurali descripsit.

In eo igitur iuvene tumor prominebat duos circiter pollices et dimidium supra reliquam faciem, isque oculum sinistrum ex orbita ita propulerat, ut helicum oculis, stylo retrahendo impositis, haud absimilis quoad situm evaderet; facultas per nares spiritum ducendi erat sublata, et exspiratio et inspiratio nonnisi ore aperto absolvebatur. Operatio instituebatur, sed eo magis consilio, ne aegrotus ullo, quod in medici potestate esset, privaretur remedio, quam ut exinde salus expectaretur. Quum vero hic casus tam esset singularis, ut, unde exierit polypus tumor, dici nequiret, et per nares aut os extractio minime concederetur, cultri ope via plane inconsueta erat ingredienda. Qua de causa operatio ita peragebatur, ut simul cum ipso tumore oculus quoque protrusus exstirparetur. Omnia primis post operationem diebus prospere cedebant ita, ut de persanando aegro spes quaedam esset; at elapsis XV. diebus nihilominus fato cessit. Sectione instituta fatalis hic exitus non erat mirandus, cum ex tumoris vi tantae reperirentur et ossium et partium mollium degenerationes, ut potius mirum videretur, aegrotum, ante operationem iam maxime defatigatum et consumtum, vivere tamdiu potuisse.

5) Diss. de polypis in cavo narium obviis; adiecta morbi historia et cadaveris sectione. Lips. 1825. 4.

Morbi thoracis organici hucdum omnis auxilii expertes putabantur, et aegroti, qui eiusmodi vitiis laborabant, sine ulla salutis spe mortem non effugerant. Casus autem, cuius Cel. RICHERAND mentionem iniecit, maxime memorabilis, luculenter demonstrat, vel hosce morbos, operatione chirurgica instituta, posse tolli, et licet ea degeneratio, quae hic commemoratur, haud ita esset in profundo thorace recondita, facilioremque aditum concederet, ex ea tamen chirurgi forsitan ad instituendas operationes sub conditionibus organorum thoracis maxime desperandis, et hucdum lethiferis habitis, incitari possent; neque frustranea spes est, certe quibusdam vitam posse conservari, quum, quemadmodum in hoc libello patebit, operationes et felicissimo quidem cum successu instituerentur, quas fieri posse, ne dum feliciter succedere, antea ne suspicati quidem erant medici.

MICHELLEAV in cordis regione tumorem habebat cancrum, qui reiterata vice et excidebatur, et lapide infernali tangebatur, haud ita multo post vero novus semper regenerabatur; ipsa quippe tumoris basis, sub costis recondita, nec cultro nec cauterio actuali aggredi poterat. Costarum itaque duarum eae partes, quae fungum extrinsecus obtegebant, et quarum per interstitia illius vegetationes, licet saepius abscissae, continuo et denuo pullulabant, resectae sunt, partibus ante muscularibus reliquisque adhaerentibus diligenter remotis. Maxima operatoris admiratione hoc factum est sine omni fere sanguinis profusione; et cum tali ratione et sine ullo quodam impedimento ad veram mali sedem eiusque basin venisset, resevit partem pleurae cancrum octo pollicum quadrangularem. Quod vulnus quum inspiceretur, occasio praebebatur cor lustrandi, quod aperte visui apparebat, et attactu de eius minori sensibilitate certior factus est RICHERAND; simul observatum est, pericardium plane esse pellucidum. Vulnus minus paulatim reddebatur adhaesiva inflammatione inter pulmonem et pericardium facta, nec minus granulationibus carnosus, quae ex utroque organo pullulabant, ita ut vigesimo septimo post operationem die aegrotus plane esset restitutus;

at carcinomatosa affectio, cuius causa operatio illa suscepta fuerat, paullopost rediit, et MICHELLEAV ei succubuit ⁶⁾).

Quae iam sequuntur historiae, eas liberalitati Exp. KOHLRVSCHII debeo, non solum propter raritatem notatu dignissimas, sed etiam eam ob causam ad nostrum finem eximie facientes, quoniam itidem sententiam confirmant, operationem chirurgicam vel tunc salutem afferre posse, ubi de omni artis auxilio desperandum esse videatur.

Vir sexagenarius ex frequentioribus itineribus et molestiis, illa semper comitantibus, viribus exhaustus, nihilominus a prima inde pueritia, et ex quo variolas feliciter superaverat genuinas, prosperrima valetudine semper gavisus erat. Anno trigesimo aetatis matrimonium iniit, tresque progeniuit liberos omni parte sanos; anno autem quadagesimo octavo pleuritidem sibi contraxit, aquae collectionem in thorace relinquentem. Quinquagesimo vitae anno in dextro corporis latere post saltum e mensa altiori hernia inguinalis apparuit, quae, bracherii licet ope retenta, post annum dimidium incarcerata, egregie tamen aptis remediis persanata fuit. — Quinquennio post primum, ut certe sibi persuadebat, scroti in sinistro latere tumorem observavit, eum tamen nequaquam dolentem. Medicus in consilium vocatus herniam illum tumorem iudicans, bracherium duplex applicandum curavit. Tantum vero aberat, ut hernia retineretur, ut saepissime sub ipso bracherio prolaberetur. Magnitudo eius in dies augebatur, ita, ut inde ab anno aetatis quinquagesimo sexto itinera suscipere amplius non posset. Nihilominus tamen morbum male neglexit, donec propter deplorandam conditionem suam chirurgicum auxilium implorare cogeretur.

Die Iunii secundo anni 1828 Exp. KOHLRVSCHIVS primum eum vidit ita se habentem: emaciatus plane erat, et odorem spargebat,

6) Annales de Chimie et de Physique par M. M. GAY-LYSSAC et ARAGO. Vol. VIII. a Par. 1818. p. 191. et 329.

quemadmodum fere ulcera cancrosa solent, foetidissimum; respiratio laesa erat atque difficilis, nec aberat febris. Scrotum valde tumidum ad genua dependebat, et massa duriuscula insensibili erat repletum, in cuius centro et in latere quidem sinistro apertura Ioachimicum magnitudine aequans deprehendebatur, ex qua continuo sanies male olens effundebatur, partesque vicinas misere corrodens. In latere dextro hernia detegebatur, per anulum abdominalem supra modum expansum facillime reponenda. Et hoc in latere fluctuatio in tumore persentiebatur. Testis hic, quemadmodum in latere sinistro, frustra quaerebatur. Iam vero licet bracherio uteretur duplici, quod tamen herniam exacte non retinebat et suspensorio insuper suffulciret scrotum, incedere tamen non poterat, nisi manibus simul tumorem contineret. Ex quatuordecim circiter diebus massa cancrosa in gangraenam abierat, ichorque viam sibi aperuerat versus exteriora.

Hisce sub conditionibus cum operatio unicum relictum esset remedium vitae sustentandae, neque eam recusaret aegrotus, die statim subsequente instituta est, praesente in consilium vocato et suadente Exp. POLACKIO, qui aegrotum iam antea curaverat.

Incisione in sinistro tumore inde ab eius fundo ad anulum usque abdominalem facta, apparuit testis in massam duram, fere cartilagineam, steatomatosam degeneratus; ad anulum abdominalem, qua parte minimum praebebat ambitum, infantis brachium crassitie aequabat et cum dissecaretur particula intestini duorum pollicum cum dimidio longa et crassitie digitum minorem aequans in ea abscondita reperiiebatur, quae caute inde soluta reponebatur; degenerata autem massa ipsa, ligatis ante omnia funiculi spermatici vasis, cultro remota est, nulla habita ratione iacturae cutis, quae penitus fere et ipsa esset destructa. In dextro latere aderat hydrocele tunicae vaginalis testis, eximiae magnitudinis, quae incisione longitudinali, non uti vulgo fit, in superiore parte, sed a latere ducta, aqua continente liberata fuit. Quod cum fuisset peractum, aquae collectio alia in conspectum venit, in tunica

vaginali funiculi spermatici reclusa, quae itidem fissa aquam emisit. Hernia inguinalis dextra intacta relinquebatur in sacco hernioso. Cutis lobi suturis aliquot cruentis, quam fieri potuit, arcissime sibi invicem appropinquabantur. Sanguinis iactura inter operationem minima erat; subligatae sunt tres arteriae. Proximis iam post operationem diebus aegrotus pro rerum conditione optime se habuit, vires maxime consumtae in dies recreatae sunt, arteriarum ligaturae intra dies solutae, decemque hebdomadam spatio vulnus cicatrice omni ex parte clausum. Per biennium integrum, quod inter operationem diemque hodiernum interest, optima aegrotus frueretur valetudine, nisi hydrothorax, quo ante iam diu laboravit, etiam nunc restaret, qui scalarum adscensum potissimum molestum reddit. Hernia utraque, et dextra et sinistra, bracherio duplici arte applicato retinetur. Quam morbi historiam ubi lustramus, apparere videtur, herniam sinistri lateris fuisse congenitam, prius ab aegroto aut non observatam, aut minoris aestimatam. Bracherium, quo utebatur ad retinendam herniam, non accommodatum noxam potius inferre, quam prodesse debebat, cum perpetuo premendo concretionibus faveret; quin adeo morbosa testis destructio, quae ex gonorrhoea forsitan neglecta aut male curata originem traxerat, facta inde funiculi spermatici compressione, multum eidem causae debere videtur. Bracherium enim, ut speratum effectum exhibeat, arte necessario partes continere, pugillus eius apte occludere aperturam annuli abdominalis externam, eiusque canalem, si quis restat, comprimere debet; necessarium nequaquam est, ut ille magni sit ambitus, e contrario minor, pyriformis praeferendus, utpote qui angulo cruris firmius inhaeret; neque ut mobilis sit, requiritur, plane nullam autem exhibet utilitatem ita constructus, ut aegrotus eius situm pro lubitu flectere, et compressionem hoc modo aut maiorem aut minorem reddere valeat?).

Maxime etiam ad nostrum finem facit operatio, ab Exc. et Exp. KVHLIO peracta, et publici iuris facta ⁸⁾. Conditio aegroti maxime deploranda fuit; corpus universum summam debilitatem monstrabat, totum membrum virile ad symphysin usque ossium pubis in globum, pugni magnitudine, mutatum erat, qui ex minoribus globulis, epidermide et cute distitutis et excrescentiarum brassicae botrytidis figuram referentibus erat compositus, ita ut, ubi praeputium, vel corpora cavernosa, vel glans, vel denique urethrae orificium fuerint, vix cognosceres, margines duri, eschara nigra duraque passim obducti et vel a levi attactu sanguinem fundebant, superficies ichore impuro, limpido, maxime foedente, cum urina mixta maduit, in ulceris vicinia ubique foraminula lotium excernentia conspiciebantur, ut de fistulis urinariis dubitare non posses, quorum ostiis specillum immissum ad urethram usque produci potuit; parietes harum fistularum duri erant, atque callosi, lotii stillicidium invito et inscio aegroto perpetuum; dolores pungentes modo remittebant, modo redibant. Mons Veneris excrescentias similes obtulit, pars anterior et superior scrōti ab ichore et urina large profluente epidermide denudata est, quod in femoribus quoque animadvertebatur. Haemorrhagia ex tuberculis quotidie fere prodiit, venae proximae varicosae erant, glandulae inguinales sympathice tumebant. Ad haec tres herniae abdominales, in dextro latere inguinalis et cruralis apparuerunt, quae aegroti conditionem multo magis miseram reddebant. Operatio ab omnibus molestiis aegrotum liberavit, et saepius eius plene persanati visendi occasio posthac mihi oblata fuit.

Qui iam sequitur casus, notatu dignissimus, Exp. KOHLRVSCHIO

Verbandmaschinen u. deren Gebrauch in der Chirurgie v. P. N. GERDY, Lehrer der Anatomie, Physiologie u. Chirurgie zu Paris. Aus dem Französischen, Weimar 1828.

⁸⁾ Vid. Ei. Progr. historia membri virilis feliciter exstirpati. Cum tab. aen. Lips. 1824.

debeo. Vir annorum triginta sex, constitutionis robustae, morbo nunquam vexatus, quique molestias militares in expeditione Gallorum in Rossiam, si pedes frigore tactos exceperis, feliciter superaverat, ex nimia virium intentione herniam inguinalem sinistri lateris sibi contraxerat, quae adhibito bracherio inepto non solum non retinebatur, sed potius intra biennium ad magnitudinem capitis neonati infantis increverat; qua de causa non solum in muneribus suis administrandis magnopere impediabatur, sed incarcerationis quoque symptomata saepius perpressus erat, ita tamen, ut alvi excretio non penitus cessaret.

Anno 1829 primo mensis Augusti die auxilium quaerebat apud Exp. KOHLRVSCHVM ob vomituritiones, alvumque duram nodosam. Ad aegrotum diligentius observandum in lecto detinebatur per quatuordecim dies, et cataplasmata applicabantur calida parti affectae, attamen sine sperato effectu; tumor quoad volumen idem remansit, et hernia eundem adspectum, quam, cum primum viseretur aegrotus, praebebat. Iam nihil restabat, nisi operatio, ut concretiones, quibus impediabatur, quominus hernia posset reponi, solverentur, et cum aegrotus eam non reformidaret, nec Ill. CLARVS, qui erat in consilium vocatus, contradiceret, die 15. Aug. 1829 ea instituta est.

Integumentis communibus et sacco hernioso inciso omenti portio apparuit degenerata et indurata, quae, quamquam latius patente annulo abdominali, nullo tamen modo, omnique etiam adhibita diligentia, reponi poterat; quin e contrario plures novae eius particulae continuo prolapsae sunt. In hoc rerum statu cum annulus abdominalis incidi non posset, quandoquidem exinde prolapsus plurium intestinorum fuisset metuendus, omentum, quod exierat, omne cultro removebatur, pondere libram unam cum dimidia aequans. Arteriae omenti ligabantur septem. Primis octo aut novem post operationem hebdomadibus ex votis omnia succedebant, vulnusque scroti intra hoc temporis spatium ad pollicem unum cum dimidio cicatrice obducebatur, nec nisi in regione epigastrica sinistra, inde a spina anteriore superiore ossis ilei,

ad lineam usque albam durities observabatur, quae omento subiacenti vulnerato respondebat. Pus ibi progenitum, quod antea per vulnus externum libere emanaverat, nunc vero, vulnere illo minore facto, retinebatur, tumorem, dolorem, inflammationem febremque excitaverat. Cataplasmatibus autem emollientibus et inunctionibus ex unguento Hydrargyri cinereo factum est, ut durities commemorata in unum locum colligeretur, qui post hebdomades aliquot, quo loco fluctuatio maxime erat conspicua, cultro apertus, maximam puris crassi maleque olentis copiam profundebat; serius cum ipso pure ligaturae quoque excernebantur. Ab hoc inde tempore omnis aegri conditio melior reddita est; vires morbo gravi maxime fractae in dies recreatae, atque ita evenit, ut aegrotus Calendis Ianuarii an. 1830 plane restitutus dimitteretur, iisque, quibus antea occupatus fuerat, negotiis recte denuo perfungi posset. Quae operatio, praesentibus nullis urgentibus incarcerationis symptomatibus non ut praesens, quod urgeret, vitae periculum removeretur, sed eo potius consilio instituebatur, ne serius completa exoreretur incarceration, quae prognosin multo magis infaustam reddidisset. Hoc quoque in casu bracherium ineptum, praesentem haud dubie mali conditionem adduxerat; atque quum illud herniam non solum retineret, sed in eam etiam penitus non repositam, premendo ageret, facile inde omenti indurationes atque concretiones explicari possunt.

Tertius casus ad eundem Exp. KOHLRVSCHVM pertinet⁹⁾. In puella nimirum monstrosa moles, quae posthac resecta pondere fuit librarum duodeviginti et dimidiae, inter orificium ani et tuber ischii proveniens, alterius podicis instar ad poplitem usque dependebat, ita ut misera, pondere illius molis onusta ne ad tres quidem quatuorve passus erecto corpore progredi posset. Faecum atque urinae emissio hac mole ad-

9) Commentatio chirurgica sistens extirpationem steatomatis in pelvis cavitate radicans. C. III. tabl. aen. Lips. 1826. 4.

modum impedita et magnis cum molestiis erat coniuncta; nam ani orificium ab illa ita erat compressum, ut alvinae excretiones peragi non possent, nisi ab adstante aliquo moles sursum et ad latera tolleretur. Labium pudendorum lateris dextri externum ad ovi gallinacei volumen auctum et in massam carnosam et duram degeneratum erat, internum autem, formam et volumen digiti hominis adulti referens, externo erat dimidio longius et sub eo prominens. Urinae fluxus exinde retro pressus, deorsum et quodammodo in ipsam vaginam dirigebatur; quare urina sedente tantum aegra, labioque hoc digitis in vaginam immissis dimoto, mitti poterat. Ceterum universa puellae valetudo melior erat quam pro praesente tanto, tamque singulari plane tumore exspectari poterat. At summis licet cum difficultatibus in operatione ipsa esset luctandum, quum steatomatis radices cum ligamento non solum sacro-spinoso et intestino recto, sed cum symphysis quoque sacro-iliaca cohaererent, feliciter tamen ea peragebatur, et plures deinde per annos optima valetudine aegrota gavisata est. Nihilominus tamen factum est, ut tumor denuo pullularet; quumque vel tum alia nulla in sanandi methodo nisi in operatione reiterata salus esset, iterum arte resectus est tumor, at aegra post aliquot septimanas fato fuit defuncta.

De aneurysmatum curatione maiores nostri vel prorsus desperarunt, vel, si quando curam aliquam adhibuerint, ea ita comparata fuit, ut speratum effectum habere ea non posset. Desperatam autem vere fuisse aneurysmatum curationem, atque pro vano conamine habitam a magni nominis viris, testimonio esse potest hoc, quod aneurysma iliacum atque axillare, quod utrumque ad DESAVLTIVM et GOOCHIVM usque pro morbo sanationem adeo respuente haberetur, ut homines hocce malo vexati vel omnino a medicis derelinquerentur, vel nonnisi venae sectionibus saepe repetitis, ieiunio summaque quiete tractarentur. Longe aliter res nostris se habet temporibus, quibus chirurgi de aneurysmatibus operationis auxilio feliciter curandis non adeo desperant, ut potius eiusmodi curationum felicissimo cum effectu susceptarum multa quo-

tidie proferant exempla. Ad recentiora autem tempora usque acquieverunt chirurgi in aneurysmatibus superficialibus, extremitatum inprimis, feliciter curandis, nunc vero, recentissimo tempore felicissimis GRAEFII, MOTTII, COOPERI aliorumque conatibus contigit, vel in interiora corporis humani descendere, et iis quoque aneurysmatibus medelam afferre, quae hucusque nunc ocius, nunc serius erant lethalia.

Sic VAL. MOTT ¹⁰⁾ in aneurysmate arteriae subclaviae non dubitavit, arteriam ligare anonymam, in viro quinquaginta septem annorum, et constitutionis infirmae. Ob febrem catarrhalem vehementiorem in nosocomium, quod Eboraci novi est, ipsis Calendis Martii anni 1818 aegrotus receptus est. Facta diligenti exploratione brachium dextrum una cum humero tumidum inventum. Febris quidem et tumor paullo post, remediis aptis adhibitis, evanuerunt, at nihilominus in superiore et posteriore claviculae parte parva intumescencia reliqua mansit. Retulit aegrotus, malum hoc primum apparuisse post lapsum in brachium dextrum, humerum atque occiput. Brevi post fluctuatio apparuit. Diē Iunii tertio post meridiem de sensu peculiari conquestus est, quasi quid in tumore divelleretur; dolores inde aucti et brachii motus penitus sublatus. Ab eo inde tempore accrescere tumorem ad triplex pristinae magnitudinis volumen, animadverti pulsationem, et vires aegri maxime debilitari. Quapropter arteriae anonymae ligatio die Iunii undecimo suscepta.

Incisio prima facta est in ipso tumore supra claviculam, ad sterni partem superiorem ducta; inde secunda ducta, marginem interiorem M. sternocleidomastoidei sequens; cute a M. platysmamyoe remota, ipse

10) *Geschichte der zu New-York v. VAL. MOTT bey einem Subclavial-aneurysma unternommenen Unterbindung der Arteria Anonyma. A. d. Engl. v. MICHAELIS. GRAEFIE u. WALTHERS Journal für Chirurgie und Augenheilkunde, 3ter Bd. p. 369.*

hic musculus, uti muscoli mastoidei pars sternalis in primae incisionis directione discissus; nunc vena iugularis interna, cum tumore connata, solvitur, dissecantur M. sternohyoideus et thyreoideus, carotis atque subclavia denudantur. Haec ipsa subclavia tam morbo degenerata deprehensa est, ut tuto circa eam ligatura duci non posset. Propterea anonymae ligatio praefertur. Sub ipsum sternum eam persecutus est chirurgus, tela circumiacens manubrii cultri ope aequae ac nervus recurrens et phrenicus removentur, et ligatur anonyma dimidium circiter pollicem supra eiusdem divisionem. Gradatim arctius constringitur ligatura, quumque nulla functionis pulmonum perturbatio observaretur, arctissime ea applicatur. Pulsus arteriae temporalis dextrae et radialis extemplo cessarunt, nec tamen de ullo dolore aeger conquestus est. Sanatio tam feliciter succedebat, ut die post operationem decimo sexto aegrotus deambulare posset; sed, oborta die vigesimo tertio ex vulnere haemorrhagia, die vigesimo sexto horis matutinis exspiravit.

Cadaveris sectio ulcus obtulit tripedis arteriarum, anonymae, subclaviae et carotidis, pollicem aequans, cui subclavia et carotis libero fine inosculabantur.

Multo maiore autem admiratione dignus ASTLEY COOPERS¹¹⁾ est, anglicus ille chirurgus celeberrimus, qui in aneurysmate, quod pollices quatuor et supra et infra ligamentum Poupartii extendebatur, ruptumque erat, Aortam ipsam abdominalem ligare non dubitavit.

Incisio facta est in linea alba, tres pollices longa, ita tamen, ut umbilicus non tangeretur. Discisso peritoneo, intestina digito in ab-

11) ASTLEY COOPERS *Denkschrift über die Unterbindung der Aorta abdominalis nach VILLIER'S Ausgabe v. CARVS übers. Leipzig 1824. Salzburger med. chirurg. Zeitung 1817. Nr. 79. S. 13. FRORIEP'S chirurg. Handbibliothek 1. Bd. 1ste Abth. p. 393 ff.*

dominis cavum introducto removit, et ubi ad spinam vertebrarum usque pervenisset, ungue peritoneum, quod dextro aortae lateri adnectitur, dilaceravit; digitum deinde cum inter spinam vertebrarum et aortam produxisset, acus obtusae ope ligatura simplici aortam circumdedit. Aegrotus quadraginta post operationem horis expiravit. Tum femur lateris sani et sensum et calorem iam recuperaverat, aegroti vero lateris femur calore destitutum, ad mortem usque coeruleum factum. Infelicitis huius operationis eventus causa non in operatione ipsa erat quaerenda, ut et REISINGERVS ¹²⁾, qui ei interfuit, testatur, sed potius in sanguinis iactura ex rupto aneurysmate nimia, et in iis, quaeque in cadaveris disquisitione detegebantur, magnis degenerationibus. Hanc ipsam vero operationem sine ullo vitae periculo peragi posse, anatomia pathologica probat, qua evincitur, ipsam saepe naturam aortam quasi ligasse, et nihilominus vitam mansisse superstitem. Ita e. g. IOHN BELL ¹³⁾ observavit aortam, sub illo ipso loco, ubi ad caput et extremitates superiores ramos mittit, penitus oclusam; in quo casu circulatio sanguinis per arterias mammarias et phrenicam dilatatas fiebat. GILBERTVS quoque BLAINE ¹⁴⁾ eiusmodi casum communicavit. Aorta in sua origine valde erat dilatata, sub ipso autem loco, quo arterias edit ad caput, et infra illum usque ad canalisi arteriosi insertionem, plane erat obliterated. Art. subclavia sinistra, intercostalis superior et mammaria dilatatae erant. Itidem GRAHAM in infante quatuordecim annorum aortam infra arcum obliteratedam ligatura quasi constrictam vidit et PARIS, DESAVLTH Prosector, in femina quinquagenaria eandem arteriam infra arcum tantopere contractam deprehendit, ut calami scri-

12) *Salzb. Zeitung* 1817. Nr. 79. 13.

13) *Principles of Surgery*. Edinb. 1801. 4. p. 244.

14) *Medico-chir. transact.* Vol. V. 1814. *Salzburger med. chirurg. Zeitung* 1816. Nr. 27.

ptorii ambitum non superaret; paullo inferius lumen aortae naturale erat.

Nec minus pro felici huius operationis eventu loqui videntur experimenta in vivis canibus capta, in quibus ligationem nec gangraena nec atrophia extremitatum inferiorum secuta est; quin potius canis, cui ASTLEY COOPER aortam infra cor ligaverat, annum et quod excurrit adhuc vixit ¹⁵⁾.

MEYERVS quidem, qui idem experimentum, sed in uno tantum cane instituit, propterea quod canis post horam unam cum quadrante emoriebatur, concludit, ligaturam aortae thoracicae mortem necessario adducere; sed ipse concedit, vel hoc in cane arterias mammarias internas, intercostales, easque, quae supra ligaturam cum art. lumbalibus, phrenica, epigastrica etc. cohaerent, exiguum sanguinis copiam in abdomen traduxisse; proptereaque persuasum nobis habemus, mortem tam celerem aliis potius ex caussis, quam e ligatione esse derivandam; concedere autem coacti sumus, hanc operationem in canibus facilius peragi posse, quam in homine, utpote in quibus ut ad aortam perveniamus necessarium non sit, ut peritoneum incidatur, quod aliter in homine se habet. Nec tamen dubitamus, ANDERSONI ¹⁶⁾ praecepta magni hic esse posse momenti.

Plerique ovariorum morbi organici nulla curandi methodo melius admittere hucusque putabantur, feminaeque quae hydrope, aut steatmate, ovariorum aliove morbo, in quo illorum volumen auctum est, laborabant, post innumeras molestias sine auxilio diem, qui eas ab incommodis omnibus liberaret, exspectabant supremum. Recentiorum autem industria praeprimis factum est, ut vel in hisce morbis spes valetudinis restituendae in operatione chirurgica quaeri

15) Kerr observations on the Harveian doctrine p. 67 sq.

16) Ueber die Unterbindung der grossen Arterien, in welche sich die Aorta abdominalis spaltet. *FRORIEPS Notizen* 3. Bd. St. 282.

posset, nec frustra. Liceat aliquot casus ex opere LIZARSII infra laudato ¹⁷⁾ hic afferre. Foemina propter abdominis tumorem gravidam se putabat. Facta autem exploratione obstetricia, nullus in utero foetus detectus. Quare MACDOWAL, qui hunc tumorem ovarii esse iudicasset, excisionem eius suavit. Quam cum aegrota non recusaret, ea instituta fuit et ita quidem, ut incisio fieret in sinistro latere novem pollices longa secundum cursum fibrarum musculi recti abdominis, hocque modo tumore in conspectum vocato, ligatura iniiceretur tubae Fallopianae proxime ad uterum. Incidebatur deinde ipse tumor, ex quo evacuatae fuerunt librae quindecim substantiae sordidae, gelatinae speciem referentis. Discissa deinde Fallopii tuba est, et ovarium remotum, quod fuit pondere librarum septem cum dimidia. Die post operationem trigesimo tertio aegrota penitus restituta.

Hoc casu felici commotus LIZARS quoque istam operationem suscepit in femina triginta sex annorum, cuius abdomen ovarii tumore ita erat distentum, ut eam octavum mensem gravidam putasses. Dolores simul aderant in regione lumbali et circa os sacrum trahentes, nec aberat respirationis oppressio conspicua. Causa huius mali in refrigerio posita videbatur; nam cum ante complures (VI.) annos refrigerium admisisset, dolores in dorso vehementes oborti erant, cum vomitu per sex fere dies durante. Paullatim in regione iliaca dextra tumor apparuit pugni magnitudine ab initio immobilis, postea autem, ubi augebatur, mobilis factus. Cum de ovarii tumore vix esset dubitatio, die vigesimo septimo m. Februar. a. 1825 operatio instituta fuit.

17) *Beobachtungen über die Exstirpation der krankhaften Ovarien* v. IOHN LIZARS; a. d. Engl. Weimar 1826. Complures alii casus allegantur in opere: *Ueber eine sehr gewöhnliche und noch wenig gekannte Ursache des Abortus, nebst einer Denkschrift über den Intro-Pelvimeter oder inneren Beckenmesser*; v. Madame Boivin. A. d. Franz. v. F. L. MEISSNER. Leipz. 1829. 8. p. 130 — 149. quos tamen brevitatis causa praetereo.

Incisio externa in latere sinistro prope lineam albam a cartilagine xyphoidea ducebatur ad symphysin usque ossium pubis. Musculis deinde et peritoneaeo discissis, tumor detectus est maximam abdominis partem replens, et utero octavo aut nono graviditatis mense aequiparandus. Ligatura, quum tumor esset protractus, circa eiusdem collum ducebatur propeque eam abscindebatur. Haec quoque aegrota pristina valetudinem recuperavit. Idem medicus eandem operationem bis postea adhibuit, in una aegrota felici successu, in altera eventu lethali.

Uteri carcinoma ad nostrum seculum pro morbo auxilii medici experte, et iure quidem habebatur, quum, quantum equidem scio, nullus apud auctores occurrit casus mali huius atrocissimi persanati.

Casus vero, quorum iam mentionem facturus sum, comprobant, vel in hoc morbo chirurgiam opem ferre posse. Iam dudum quidem de utero exstirpando cogitaverant medici, operationem vero hanc nimis periculosam et crudelem censuerant, quam quae tuto suscipi possit. Recentioribus demum et recentissimis temporibus, occurrentibus passim casibus de fortuita excisione uteri sine vitae periculo et subsequente prosperrima valetudine, medici ad operationem confugerunt.

Ita v. c. CARPVS ¹⁸⁾ matricem e vulva propendentem et corruptam, abscissam, et feminam sanatam fuisse refert, aegrotamque cum marito posthac adeo coisse, sine libidinosa tamen et venerea voluntate. Felix idem eventus observatus fuit in alia femina, quae ex partu laborioso prolapsum uteri cum eiusdem inversione erat experta, et in qua uterus iam nigrescebat. Ligatura applicata, et infra eam abscissus uterus fuit.

Obstetrix post partum facilem ac felicem uterum cum secundinis protraxerat. FAIVRE medicus in auxilium vocatus, illum tam tumidum, inflammatum ac dolentem deprehendit, ut omnes reponendi conatus frustra adhiberentur. Nullus itaque dubitavit vinculum ei imponere, quo

18) Commentarii super MVNDINI anatomiam. p. 225.

diebus 27 praeterlapsis uterus remotus fuit. Suppuratio larga et saniosa diu quidem remansit, valetudo tamen tandem rediit ¹⁹⁾).

WRISBERGVS ²⁰⁾ casum describit similem, et alium BERNHARDVS ²¹⁾).

Femina triginta quinque annorum partum ediderat; obstetrices, ut secundinas eliminarent, magna vi funiculum umbilicalem trahebant, qui inde disruptus est; in conspectum autem venit utriculus e vulva protractus, quem cum secundinas esse censerent illae magis etiam protrahabant, quumque viribus adhibitis non cederet, cultro tonsorio tandem abscindebant. Haemorrhagia insecuta est vehementissima, ad quam sistendam glaciem in vulvam immiserunt. Et huic adeo feminae sanitas reddita fuit, ita tamen, ut urinae incontinentia remaneret. DESAULTIVS quoque ²²⁾ magnam uteri partem cum polypo, qui illius prolapsum adduxerat, feliciter cultro removit. Nec CLARKEI ²³⁾ casus hic omittendus, qui uterum prolapsum polypum iudicans ligavit, quam vero ligaturam ob dolores exortos et haemorrhagiam vix sistendam remove posthac coactus fuit. Serius quod pro polypo habuisset, ipsum uterum cognovit inversum esse, eumque cum reponi non posset, cultro sustulit.

Ipsa autem operatio vel ad uteri tantummodo collum pertinet, vel ad totum uterum.

In femina quinquagenaria, cuius uteri orificium et collum excrecentiam carcinomatousam pugni magnitudinis offerebat, extirpavit RYMERVS ²⁴⁾ uteri collum. Die vero post operationem octavo mortua aegrota et in sectione cadaveris reliquus quoque uterus carcinomatousus et

19) RICHTER'S chirurg. Bibliothek 11. Band Stück 3.

20) Commentatio de uteri mox post partum resectione non lethali. Goetting. 1787. 4.

21) SIEBOLD'S Lucina 1. Band p. 401.

22) RICHTER'S chirurg. Bibliothek, 8. Band 4. St. p. 692.

23) Sammlung auserlesener Abhandlungen, zum Gebr. für pract. Aerzte Bd. 24. St. 39.

24) Salz. med. chir. Zeit. 1813. 3. Bd. S. 188.

sphacelosus deprehensus. Cervicis uteri similem exstirpationem LEWIS²⁵⁾ quoque recentissimis temporibus peregit, et uterum prolapsum totum carcinomatosum LANGENBECK²⁶⁾ resecurit in femina plus quam quinquaginta annos nata, in qua morbus iam permagnos fecerat progressus. Vagina cultro separabatur ab utero ipso, peritoneum deinde, sed cautissime removebatur, ne dissectum intestinorum prolapsui locum concederet, uterus ipse paullatim magis protrahebatur et a partibus denique vicinis plane solutus, simul cum ovariis et ligamentis uteri rotundis removebatur. Arteriae sanguinem spargentes ligabantur quatuor. Sanatio prosperrime successit.

Eadem operatio ab OSIANDERO²⁷⁾ in vidua uteri carcinomate laborante, cuius conditio maxime erat deploranda, sed ita peracta fuit, ut antequam uterus ipse exsecaretur, prolapsus eiusdem artificialis efficeretur. Novies eadem ratione ad annum usque 1808 hanc operationem exercuit, et, ut refert, felici semper cum successu.

Sed omnibus his longe mirabilior est historia exstirpationis uteri a IO. NEP. SAVTERO²⁸⁾, sine praevio prolapsu artificiali et cum felici eventu susceptae et peractae; quam tamen tantummodo citasse sufficiat, cum ea vix bene intelligatur, nisi historia huc enarretur tota; quod vetant arctiores huius libelli fines. Eandem ob causam silentio etiam praetereo alias operationes, quae meum de summa chirurgiae etiam in casibus desperatissimis utilitate iudicium, in initium huius descriptionis declaratum, facile possent comprobare.

25) The London medical Gazette Vol. I. 1828. p. 317.

26) S. dessen neue Bibl. für Chir. u. Ophthalmologie 1. Bd. p. 555 seq.

27) Göttinger gelehrte Anzeigen Jahrg. 1800.

28) Die gänzliche Exstirpation der carcinomatösen Gebärmutter, ohne selbstentstandenen oder künstlich bewirkten Vorfall vorgenommen; mit näherer Anleitung, wie diese Operation gemacht werden könne. Mit Abb. Constanz 1822. 8. p. 69 ff.